

que, & exprimatur: hæc operatio ter, quaterve reiteretur, ac per subsidientiam depurata usui servetur.

Eodem modo fiunt infusiones.

Rosarum Rubrarum.

Florum Persicorum.

Papaveris Rhœados, & similia.

Notandum quod aliæ infusiones laxantes, & alterantes extemporaneæ fiunt, & secundum varias intentiones à Medicis præscribuntur.

CAPUT III.

DE VINIS, ET CEREVISIIS MEDICATIS.

Vina, & Cerevisiæ medicatæ, seu compositæ, nihil aliud sunt, quam ipsa Vina, ipsæque Cerevisiæ particulis unius, sive plurium simplicium, fermentatione mediante, aut infusione, imprægnatæ.

Vinum paratur ex omnibus ferè Succis fructuum maturorum, ritè fermentatis: fitque ex melle, & saccharo in Medicina, attamen vinum ex musto fermentato inservit.

Cerevisia etiam est vini species, & ex lupulo, hordeo, tritico, avena, similibusque in debita aquæ quantitate decoctis, ac fermentatis efficitur.

Dupliciter itaque vina medicinalia præparantur, infusione, videlicet simplicium in musto, seu in mistura hordei, & aquæ, ut simul fermententur, ac eorum substantiæ, aut virtutes, à liquoribus extrahantur, vel infundendo simplicia in Vino, aut in Cerevisia, ut, mediante digestionem, insolationem, vel macerationem per dies aliquot, partes eorum activæ dissolvantur.

Rij

VINUM EMETICUM.

R. Croci Metallorum, seu Hepatis Antimonii, uncias tres.
Vini albi optimi, libras duas.

Infunde, & macera per dies octo in Matratio benè obturato, ac simul reponantur, & ferventur, sæpiùs agitando, ad ejus verò usum vinum supernatans per inclinationem separetur.

Insignitèr biliosos evacuat humores, tam per vomitum, quam per secessum.

Dosis ab uncia semis ad uncias tres.

VINUM ABSYNTHII MEDIANTE FERMENTATIONE

FACTUM.

R. Summitatum Absynthii ficcarum, & incissarum, . .
. libras quinque.

Injice in doliolum idoneum, quibus superaffunde

Musti recentis, libras sexaginta.

Reponantur simul in cella vinaria, & fermentatione facta, liquor vinosus clarus in lagenis vitreis, optimè obturatis, ad usum fervetur.

Menses movet, appetitum excitat, ventriculum roborat, ac flatus dissipat.

Dosis ab uncia una ad uncias quatuor.

Eadem methodo fiunt Vina.

Betonicæ.

Salviæ.

Roris marini, & similium.

VINUM ABSYNTHII EXTEMPORANEUM.

R. Summitatum Absynthii ficcarum, & incissarum, . .
. uncias tres.
Vini albi optimi, libras octo.

Infundantur, ac macerentur ad dies duos, dein vinum coletur, & ad usum fervetur.

Easdem habet virtutes, ac præcedens.

Dosis quoque eadem est.

Similiter paratur vinum.

Euphrasæ.

Salviæ.

Betonicæ.

Roris Marini.

Radici Enulæ campanæ, &
similium vegetabilium.

VINUM KINÆ KINÆ, SEU ANTI-FEBRILE.

R. Kinæ Kinæ pulveratæ, . . . unciam unam & semis.
Vini albi optimi, libras tres.

Infundantur in vase vitreo stricti oris, benè obturati, ac digerantur in loco calido per viginti quatuor horas, sæpius agitando; dein per inclinationem vinum separetur.

Ad febres, maximè intermittentes debellandas, prodest.

Dosis ab unciiis duabus ad uncias quatuor.

VINUM STIPTICUM.

R. Nucum Cupressi, . . . }
Foliorum Roris marini, . . . } ana unciam unam.
Baccarum Myrti, . . . }
Rosarum Rubrarum, . . . }
Corticis Granatorum, . . . }
Balaustiarum, . . . } ana unciam semis.
Aluminis crudi, . . . }
Vini Rubri optimi, . . . libras quatuor.

Omnia contusa decoquantur per semihoram igne lento, secundum artem, dein decoctum coletur, atque exprimatur.

Adstringens, & roborans est.